





G. II. num. 48.

1775, 9

DISSE<sup>T</sup>ATI<sup>O</sup> IN AVGVRALIS  
THETICO · BIBLICA  
DE  
**LEGIBVS DIVINIS**  
**HAVDQVAQVAM ARBITRARIIS**


*S. 8*  
QVAM  
CONSENTIENTE  
VENERABILI THEOLOGOR. GOETTINGENSIVM  
ORDINE,  
AD OBTINENDAM  
DOCTORIS THEOLOGIAE DIGNITATEM,  
ERVDITORVM IVDICIIS

SVBMITTIT  
**IOHANNES CASPAR VELTHVSEN,**  
PROF. TH. ORD. IN ACADEM. KILON.  
DESIGNATVS.

GOTTINGAE  
LITTERIS FRIEDER. ANDR. ROSENBV SCH  
ACADEMIAE TYPOGRAPHI. MDCCCLXXV.







DISSERTATIO IN AVGVRALIS  
DE  
**LEGIBVS DIVINIS HAVDQVAQVM  
ARBITRARIIS.**

**Q**uae aliquot abhinc annis subtilius a TOELLNERO, elegan-  
tius forsitan a PISTORIO (a), discussa est quaestio de le-  
gibus diuinis, an arbitriae vocandae sint, necne? ea tam grauis  
tamque ad promouendam pietatem idonea ac paene necessaria est, vt,  
si quis eandem magis ad vfls acroamaticae Theologiae accommodan-  
dam retractauerit, hic mihi omniuo operaे pretium fecisse videatur.  
Neque enim Duumiri illi, quos modo laudaui, neque Belgae iis ad-  
iuncti

(a) Vid. TOELLNERI disquisitio, gum diuinarum perfectionem perspi-  
ciat; quae legati Stolpiani praemium  
Vtrum Deus ex mero arbitrio potesta-  
tem suam legislatoriam exerceat, an reportauit, Lugd. B. 1770.  
vero ita, vt ratio humana etiam le-

A

iuncti (*b*), omne in nobis scribendi materiam praeripuisse dicendi sunt. Siquidem philosophica in primis ratione sententias suas sacrosancta Legislatoris maiestate dignas comprobatur, oracula diuina, quae princeps theologiarum veritatum fons summo iure habentur, aut plane neglexerunt, aut certe non nisi in subsidium vocarunt, neque omnino methodo strictius theologica vti propositum iis fuit.

Huic igitur desiderio ut, quantum in me erat, occurserem, quam poteram breuissime paucis thesibus praemissis testimonia biblica subieci, et, ubique opus videbatur, modo argumenta curatus definiui, modo locorum sanctorum genuinum sensum tam grammaticae, quam exegetice commonstravi.

### THESES PRIMA.

*Nihil eorum, quae DEVS siue agit siue decernit, simpliciter arbitriarium est.*

Ius agendi quaecunque placent, *arbitrium* vocatur. Summum quidem DEO ius competit, agendi quaecunque placent; hinc s v m m v m arbitrium. Quo autem sanctior eius natura est, eo constantius rationes optimas in iis, quae agit, sequitur; nec placent sapientissimae menti, nisi quae bona atque utilia sunt.<sup>nb</sup> Absque omni bonitatis vel utilitatis respectu velle, est M E R V M arbitrium; et actio talis arbitraria vel simpliciter arbitraria dicitur. Adeo notiones actionis arbitrariae, et sapientiae, (quae rationes suas certas semper et quidem optimas in agendo sequitur,) e diametro oppositas esse apparent.

PROV. XVI, 4. *Cuncta DEVS scopo suo conuenienter agit:* nam etiam maleficum dies supplicii manet. i. e. quanquam scelera, quae ab

(*b*) L A V R E N T I U S M E Y E R et A L L A R D V S H V L S H O F.

ab hominibus committuntur, consiliis DEI aduersari videntur, tamen et haec lapientissime ad finem suum dirigit; etiam puniendis crimini- bus scopum certum sibi praefixit, rationesque optimas sequitur.

Iuxta versionem LUTHERI nostri plane contrarius quidem ex- surgit sensus, quasi DEVS omnia sui ipsius causa agat. Verum non scriptum est רְמַעַנָּה ex רְמַעַנָּה, sed מַעֲנָה ex רְמַעַנָּה, quae vox non solum responsum, sed etiam scopum (propter intentionem) signifi- cat. Nam עַנְהָה (عنّه) arab. est intendit, significavit. Hinc معنٍ (معناه) ex versione GOLII sensus, quod significatur, virtus rei, id vero est, scopus. (Confer. SCHVLTENS ad h. l.) Verbotenus: Quacunque re id, quod DEVS intenderat, efficitur.

Vox עַשׂ aut pro עַשְׂתָּה posita accusatiuus est; tunc ver- tendum erit: Etiam maleficum parat (i. e. destinat) ad poenam (c). Nam et agendi et parandi significatio verbo עַשׂ inhaeret. Aut si nominatiue ponitur, ellipsis ita supplenda: Etiam maleficus ad poe- nam (destinatus est) (c).

Comma hoc 4tum cum 3to et 5to connexum puto, vt sententia plena sit: Noli in afflictione tua de vigili Numinis prouidentia despe- rare. (v. 3.) Licet enim oppressor tuus se efferat, haud tamen in per- petuum impunis erit. (v. 5.) Adeoque, si aliquamdiu Vtor iniiquita- tum temere (vel ex mero arbitrio) fata mortalium regere et malorum consilia prosperare videtur, re vera etiam tunc, quam minime appa- ret, ad scopum suum cuncta perducit. (v. 4.).

HEBR. XII, 10. Homines quidem dicuntur ex mero arbitrio agere, (κατὰ τὸ δοκεῖν αὐτοῖς), DEVS autem, prouti maxime  
A 3 conue-

(c) Eodem sensu καταρπίζειν oc- confer. Exercitationes nostrae in Io- currit Rom. IX, 22. bum. §. 4. ad vocem חִמָּה pag. 45, sq.

(d) De ellipsi aliquatenus simili

conueniat, i. e. iuxta perfectissimam sapientiae normam. (επὶ τὸ συμφέον).

EZECH. XIV, 23. In omnibus, quae DEVS decreuerat contra Hierosolymam, non temere aut inconsulto se egisse testatur. (אָנֹכִי כּוֹנֵחַ). Sapientissimas igitur ac iustissimas rationes agendi secutus est.

GENES. XVIII, 25. Tantum abest, ut arbitrarium sit, iustum aequumque iudicium ferat DEVS, necne? ut horrendum (e) potius foret, talia de eo cogitare. Iusti enim atque iniusti ut par vnguam sit ratio, fieri nullo modo potest.

2 THESS. I, 6. 7. Nequaquam ab arbitrio DEI pendet, puniat sclera, necne? (penes DEVUM iustum est, δίκαιος παρὰ Θεῷ sua ipsius natura fertur ad sumendum de impiis supplicium).

PROV. XVI, 11. DEVS quasi trutinam ac libram iustissimam gerit: quidquid agit, plena pondera adhibet. i. e. aequa lance cuncta, quae agit, examinat; hinc opera eius summam curam produnt.

Non pugnat cum hac thesi summa DEI *Libertas*, quae et *interna* et *externa* est. Illam dixerim facultatem, qua se ipse, nemine impellente, ad deliberandum vel agendum intrinsecus (sua sponte) mouet aut determinat. Haec vero est facultas (pro iubitu) peragendi, quaecunque sapientia suadet, (σοφία ἀνώλυτος,) (f) seu facultas mentis omnes naturae suae conatus, nullo impediente obstatulo, perficiendi; quam quidem in omnipotenti et independenti summam ac perfectissimam esse appetet. Salua itaque ipsius Libertate, liberum

DEO

(e) emphaticē repetitur exclamatio  
תְּהִלְלָה.

(f) CL. PESTELIVS (in Fundamen-

B. 1774.) *Libertatem diuinam* dicit  
esse summam sapientiam videntem op-  
timam et agentem sine impedimentis in-  
ternis aut externis.

DEO non est, contra naturam suam, aut ex *mero* arbitrio agere; quum potius, ex optimis rationibus agere nolle, vel rationes agendi nullas habere, sapientiae eius contrarium foret.

### THESIS ALTERA.

*Vbicunque DEVS ex arbitrio agit, ibi arbitrium illud bonitate, sapientia ac iustitia temperatum est.*

Attributum sanctissimae ac perfectissimae naturae unum sine ceteris cogitari nequit. Potius ex ipso attributorum vniuersorum consensu *perfectio* oritur.

MATTH. XX. 13-15. DEVS, cuius iura in exemplo patris familiis vindicantur, eodem tempore, quo ex summo *arbitrio* (g) agit, non solum strictissimas *iustitiae* (h) leges sequitur, sed etiam insigne *bonitatis* (i) suae specimen praebet.

ROM. IX. 22. Erga ipsos scelestos, ultimis tandem suppliciis afficiendos, mansuetus ac clemens est et multa patientia poenas differt (k).

Saepissime quidem, ad vindicandam summam DEI auctoritatem, (summum eius arbitrium), sacrae litterae asseuerant, ita summo rerum humanarum Arbitro *vifum esse*, ita ei *placuisse*. Huc referto effatum Christi his verbis DEVM allocuti: *Ita Tibi vifum est, Pater. οὐτως ἔγενον εὑδοκεῖ μηπροθέν σου.* MATTH. XI. 26. Sed ne dicam, similes phrases frequentissime alibi occurrere (l), nec tamen

inde

(g) Sic volo! nonne licitum mihi  
est? Θέλω! οὐν ζεστι μου;

(h) nequamnam tibi iniuriam in-  
fero. οὐν αδικῶ σε.

(i) ἀγαθός εἰμι.

(k) ηγεγένεται πολλῆ μακρο-  
θν μητρὶ σουην δρυῆς.

(l) Quis credat, absque omni de-  
liberatione Romanos egisse, quoties-  
cunque dicitur: Ita *vifum* est, ita *pla-*  
*cuit*

inde temerarium vel inconsultum arbitrium fluere, quasi nulla adsit alia caussa, quam quia vult, (etsi forsan alia ab hominibus inuestigari nequit;) modo ipsa haec vox εὐθεῖα (arbitrium), modo similes arbitrii diuini circumlocutiones cum descriptionibus summae sapientiae coniunguntur. v. c.

Eph. I, 8-11. *sapientia, intelligentia, et consilium* (*σοφία, φρέντης et βουλή*) de vocibus εὐδοκία et θελημα praeedicantur.

Rom. XI, 33. 34. decretis ab arbitrio diuino pendentibus ingeniumque humanum confundentibus *sapientiam, intelligentiam, mentem et consilium* inesse afferitur. (*σοφία, γνῶσις, νοῦς et βουλὴ* in voce σύμβολος).

In mysterio redemptionis, quae res est liberrimi decreti diuini, *sapientia* et profunda *scientia* absconditae sunt. (*σοφία et γνῶσις*). Coloss. II, 3. et quanquam stultum sophistis videtur, tamen admiranda sapientia abundat. 1 Cor. I, 21. 24. II, 7-10. vbi v. 7. *praedestinationem* (*προορισμόν*) cum sapientia diuina amice concinere docemur. (*σωφίαν Θεοῦ, ἦν προώρισεν.*) quemadmodum etiam *propositum DEI*, quod absolutissimum et liberrium esse nemo negauerit, ab eadem sapientia inseparabile est. Eph. III, 10. II. (*σοφία et πρόθεσις*).

Non-

cuit populo Romano? Pariter in N. T. Act. XV, 22. 28. ἔδεξε, ita placuit, ita inter nos conuenit, ita *decreta* est. (vbi *ratio* praemissa est, cur ita visum fuerit, comm. 21. ne fupacorum animi offendenterunt). Quae locutiones ut *co* melius intelligentur, obseruandum est, *velle* frequenter idem esse ac *decernere, consilium capere.* v.

c. Psalmi. CXXXV, 6. quidquid DEVS decrevit, id perpetrat. Saepissime occurrit, ἀπόστολος διὰ Θελήματος Θεοῦ, Apostolus diuino decreto constitutus. Hinc, quum illa nequaquam temere ita a DEO ordinata sint, per εὐδοκίαν τοῦ Θελήματος Θεοῦ Eph. I, 5. *Sapientissimum DEI decretum* intelligo, (conf. v. 8-11.)

Nonnunquam ratio adiicitur, cur summus rerum Arbitr<sup>r</sup> ia ege-  
rit; unde appetet, nou ex mero arbitrio, sed *consulso* et *sapienter*  
eum hunc ordinem constituisse. Iudeos a se desicere paulus est eo-  
rumque loco gentes adoptauit, ut illos ad *aemulationem* excitaret (m).  
Rom. XI, ii. Quanquam Messias contradictionibus ansam praebuit, ta-  
men hoc offendiculum eo tetendit, ut *occulta animorum consilia in  
lucem preferrentur* (n). Luc. II, 34. 35. Et quum Pharaon repetitis  
persuasionibus identidem proterue reluctatus occuluisset, (sua quidem  
ipsius, non DEI culpa,) consilium a parte suadentis fuit, ut *multi-  
plicarentur miracula* (o). Exod. XI, 9.

### THESES TERTIA.

*Leges diuinae vniuersae neutiquam ab arbitrio caeco pen-  
dent.*

Quoniam iuxta thesin primam DEVS nihil omnino ex *mero*  
arbitrio agit, hoc etiam de legibus valeat oportet, quas non ex fri-  
uola imperandi cupidine manifestauit, sed quibus, quid aut in gene-  
re, aut posito hoc vel illo rerum statu, factu optimum sit, exactissi-  
me declarare voluit (p).

Classicus

(m) εἰς τὸ παρεγγέλσαι αὐτούς.

(n) ὅπως ἐν ἀποκαλυφθώσιν ἐν  
πολλῶν περδίῶν δικλογισμοί.

(o) רבות מופתים

(p) Ipsa iam legum diuininarum no-  
mina quodammodo hoc indicant. Vo-  
cantur enim *statuta* seu *definitions*  
et quasi *delineationes*, (חקִים), quia  
statutis subditis conuenientissimum ap-  
tissime definitiunt; doctrinae seu com-

monstrationes, (תורת), siquidem  
viam, quae ad salutem fert, common-  
strant, (Exod. XVIII, 16. 20.); *testi-  
monia*, (תּוֹרַת פָּנָים CXIX, 138. 146.)  
quoniam per eas DEVS propalam te-  
status est, (Deut. XXXII, 46.) quid  
ex Eius sententia iustum sit atque ho-  
nestum; *sapientissima disciplina* (מכור)  
Prou. XV, 33. ) rel.

B

Classicus in hac quaestione locus est R. O. M. XII, 2. vbi *Voluntas DEI*, (quae verbis declarata *legem* efficit (q), explicatur per ID, QVOD *bonum, amabile ac perfectum est.*

Perperam vulgo adiectiva ad Θέλημα trahuntur. Haud equidem intelligo, quid sit *voluntas accepta?* (Θέλημα εὐάρεστον.) certe languidum est. Quare post Θέλημα τοῦ Θεοῦ colon ponendum puto, hoc modo: εἰς τὸ δοκιμάζειν ὑμᾶς, τι τὸ Θέλημα τοῦ Θεοῦ τὸ ἀγαθὸν καὶ εὐάρεστόν καὶ τέλειον. i. e. ad legem diuinam conformandos esse hominum mores; neque enim D E V M quidquam velle (aut praeципere) praeterquam quod bonum et honestum suaque natura perfectum sit. Ita postremis his verbis *definitio voluntatis* per legem declaratae contineretur. Quemadmodum non solum Hebr. XIII, 21. vbi de bonis operibus secundum legem diuinam praestandis sermo est, tanquam descriptio τοῦ Θελήματος Θεοῦ adiicitur τὸ εὐάρεστον εὐόπιον αὐτοῦ, sed etiam Eph. V, 10. voluntatem Domini examinare iubemur his verbis, δοκιμάζοντες, τι εἴπειν εὐάρεστον τῷ Κυρίῳ. (deliberantes, quid D E O maxime visum fuerit, quid ex Eius sententia ad utilitatem subditorum maxime consultum et sapientissimo Legislatori maxime probatum sit.) Cum his conferatur Rom. XIV, 18. vbi εὐάρεστος (τῷ Θεῷ) et δόκιμος (τοῖς ἄγρωποις) tanquam synonyma coniunguntur, D E O acceptus hominibusque probatus.

Neque tamen diffitebor, mihi quidem nostro loco, quoniam ibi absolute ponitur, (absque genitivo τοῦ Θεοῦ,) vocem εὐάρεστον in genere designare videri omne id, quod nos siue D E O siue *etiam homi-*

(q) hinc legis notionem comprehendit vox Θέλημα, Eph. V, 17. συ-

*hominibus gratos reddat atque acceptos, et recte igitur verti pulcrum,  
decens et HONESTVM (r).*

Quibus obseruatis dictum nostrum in hunc modum interpretor:  
*Ut expertum habeatis et tanquam sensu quodam recti sciatis, quae  
sit sub quacunque conditione Lex DEI: scilicet, id quod BONVM  
simil et HONESTVM ac PERFECTVM est (s). Sic sensu fluidiore,  
praedicatis singulis suo, quem natura poscebat, loco positis, omnia ap-  
tius cohaerent.*

Sint ergo, oportet, nonnulla sua natura bona ac per se hone-  
sta, quae legibus fancirentur, necne, neutquam erat arbitrii diuini.

Eiusdem plane tenoris est descriptio legis diuinae PHILIPP. IV.  
8. qua id praescribi dicitur, quod sit verum, honestum, iustum, san-  
ctum, amabile, pulcrum, et uno verbo, quocunque virtutis nomi-  
ne commendetur aut laudem pariat.

Geometrica, quin et arithmeticæ scrupulostate ( $\alpha\kappa\eta\beta\epsilon\alpha$ ) leges  
suas D E V S ad statum subditorum accommodasse, eandemque, quæ  
in ordine naturæ elucet, in his condendis sapientiam in consilium ad-

hibuisse

(r) Voci isti respondebit hebrai-  
cum  $\tau\omega$ , quod non solum gratiam  
DEI, sed etiam benevolentiam homi-  
num indicat; (Prou. XIV, 35. XVI,  
15.) ac simpliciter positum utramque  
complectitur. e. g. Prou. XI, 27. Qui  
virtuti operam dat, is reuera nihil  
aliud sectatur, quam quo se D E O  
hominibusque acceptum reddat, ibid.  
XIV, 9. Peccatum ludibrio habet sce-  
leratos eosque probro exponit; at cum

bonis commoratur gratia tam DEI  
quam hominum. Vides,  $\tau\omega \pi\gamma\eta\eta\eta$  ig-  
nominiae opponi adeoque notionem  
HONESTI huic vocabulo implicitam  
esse.

(s) Raptim legenda haec verba esse  
et tribus praedicatis velut unam sum-  
mae perfectionis notionem comprehen-  
di, monet articuli omisso; neque  
enim scriptum est  $\tau\omega \alpha\gamma\delta\eta\eta$  οὐ τὸ τέλειον.

hibuisse dicitur Propterea VIII, 26-30. (t) coll. III, 19. 20. Propterea leges morum acque constantes ac immutabiles (v), quam leges naturae corporum: Psalm. CXIX, 89-91. (x) et praecepta legis ad constantem normam formatae recte vocantur aeternum iusta ac vera, (y) ib. comm. 142. Hinc vtilis hominibus legum divinarum scientia, si quidem supremus Opifex, naturae nostrae quid maxime conueniat, optime perspicit, et quo nos consilio condiderit (quid igitur a nobis perpetrandum desideret) lege sua testatur. ib. v. 73.

Tam clara ac manifesta (ad eoque ad statum subditorum exacte accommodata) sunt praecepta diuina, ut, qui conscientiae monitis obtemperare animum induixerunt, et si nulla lata fuerit lex, per scientiam, quid sit verum rectiusque (z). I Tim. I, 8.

Leges cunctae, quia ad promouendam subditorum salutem tendunt, communi quadam fundamento nituntur. Principium ac summa (a) totius legis, et tanquam fons unicus, unde singula officia emanant, Amor est. Rom. XIII, 9. 10. coll. Matth. XXII, 40. (Gal. V, 14.) Huc etiam spectat Mich. VI, 8. vbi summa praeceptorum comprehenditur obedientia, amore ac fide (b)

## Notatu

(t) Locum integrum ad thesin 4tom  
interpretabor.

(v) id vero est, a eacco arbitrio  
non pendentis.

(x) מִשְׁמָךְ de caelo ac terra.  
Ita etiam p. Pf. CXLVIII, 6. lex  
est, quam DEVS veluti corporibus  
eaelestibus praescripti. Confer. Job.  
XXXVIII, 33.

זרקחץ צור לעילם ותורהך (y)  
אמור

(z) Iusto lata non est lex. δικαιω  
νόμος οὐ πείται.

(a) ἀναφαλαδώσις ιατρού πλήρω-  
μα.

(b) DEVS tibi, o homo, indica-  
uit, quid bonum sit. Etenim quid-  
nam a te postulat praeterquam ut in-  
te

Notatus quoque dignissimus est locus DEUT. XXXII, 47. *Non temere aut in cassum lata lex*, i. e. non inutilis est, (**לא דבר רך**), siquidem hinc vita et salus et senectus fluunt. Ne quis autem haec de solis morum praceptis praedicari obiciat, ex commate precedenti intelligimus, de *tota lege Moysis sermonem esse* (c). Nam quod haec lex generatim considerata non sine fine vel scopo suo certo lata sit, expressis verbis affirmit Paulus ROM. X, 4. (*τέλος γὰρ νόμου χριστός* scopus primarius atque ultimus).

Quanquam igitur DEVS legibus suis ea praescriptisse dicitur, quae *Ipsa visa sunt*, seu quae *Ipsa placent* (d), Deut. VI, 18. tamen, ne iterum moneam, DEVM ex temerario lubitu nihil vñquam agere, neve dicam, fieri nullo modo posse, vt, quum summatam voluptatem ex omni bono capiat, non aequa ex malo opposito, EI aut quod

Ita vitam agas, misericordiam sectaris et gratiam DEI tui tibi conciliare labores? Apparet, Matth. XXIII, 23, ad hoc effatum respexit Christum, ex cuius genuina interpretatione verbis illis commandantur Injustitia, Misericordia et Fides, (*υρισις, ἔλεος, πίσις*, tanquam primaria totius legis praecepta. (*τὰ βαρύτερα τὰ νόμου.*)

Nam *ענין* verbo, *Applies te*, (operam des,) ut cum DEO ambules, seu, omnem industriam adhibeas ad conciliandam tibi gratiam DEI; (quae est FIDEI descriptio:) ex significatio-

ne arab. Siquidem *صَنْع* (*יען*). coni.

III. significat, conciliare sibi studuit. IV. (Hiphil) applicuit se. Quadrat etiam nomen *صناعة* (*ענין industrius*) Prou. XI, 2. (Ferocientes ac praecepta contemnentes manet infamia: qui vero omni se industria ad religionem applicant, cum iis stat Sapientia.)

את-כל-ירבורי ההורת הוארת (c)

(d) De phras. בעוני הוה, qua in genere, quod cuiquam placet, vel quod lubet, indicatur, conf. Gen. XVI, 6. XIX, 8. Quo autem sensu haec de DEO absque rationibus

quod bonum non esset placuerit, aut ex binis quidem vere bonis illud, quod minus bonum esset (*e*) arriserit; ipso hoc dicto expressis verbis docemur, quo tendat obseruatio praceptorum, scilicet ad salutem obseruantium (*f*). Ita quod i Tim, II, 3. bonum *D E O que acceptum esse dicitur*, (*καλὸν νοὶ ἀποδεῖτον ἐνώπιον θεοῦ*), ut pro salute aliorum preces fundamus, hoc *per se suaque natura bonum esse quis non videt?* Etiam de pracepto quarto, quod appetet maxime necessarium, neque ullo modo arbitrarium fuisse, siquidem aliud officium liberis praescribi plane non poterat, eadem adiicitur ratio, *hoc enim D E O gratum acceptumque esse.* Τοῦτο γάρ ἐστι εὐέργεσον ἐν Κυρίῳ. (proprive, honestum ex sententia DEI.) Coloss. III, 20. At ex loco huic respondentे Ephes. VI, 1. patet, intelligendum esse per εὐέργεσον id quod *sua natura aequum ac iustum est.* Τοῦτο γάρ ἐστι δικαίον.

Quemadmodum haec tenus dicta ad vindicandas ab arbitrii merita leges diuinæ vniuersas satis valida esse appetet, ita de singulis praceptis idem afferendum est.

**D E V T. IV, 8. totius legis (*g*) per Mosen reuelatae pracepta generatim vocantur *iuslissima.***

In primis huc spectat iudicium Servatoris nostri, qui legem, quo facilitor sit obseruatu, eo perfectiorem praedicat; MATTH. XI, 30. (coll. i IOH. V, 3. (*b*))) et ex hoc potissimum capite doctores Iudeorum

nibus mouentibus nihil unquam decernente intelligi debeant, commonistratum est supra in voce Εὐθουά ad Thess. II.

(*e*) Minus bonum *comparative* non amplius est bonum, sed pro *malo* *relativo* habendum. Atqui DEV M, salua Ipsiis libertate, negamus *malum*

*absolutum* eligere posse. Valeat igitur idem, oportet, de *malo relatio-*

(*f*) *vt tibi bene sit.* לְךָ יוֹתֵב

(*g*) *ככל-הזהותה הראית*

(*b*) *praecepta eius non sunt diffi-*  
*cilia, αἱ ἐντολαὶ αὐτοῦ βαρεῖαι οὐ*  
*εἰστιν.*

orum incusat, quod infinitis suis appendiculis Legi superiniectis *vin*  
atque *auctoritatem* praeceptorum re ipsa eluant. Marc. VII, 13. (i)  
Matth. XXIII, 4. (k) coll. v. 23-25. Hinc enin, quoniam cura prae-  
ceptis maxime necessariis (l) impendenda ad fruolas istas et superflu-  
as appendiculas intenta ac distracta imminuitur, scopum legis (vt sa-  
crosancta maneat) impediri patet. Quare eo lex perfectior erit, quo,  
salua eius ad fines suos assequendos sufficientia, brenior est; vt igitur  
Legislator sapientissimus ne minimum quidem particulam, quae saluo  
eius scopo abesse poterat, Codici suo inseruisse adeoque neutiquam ar-  
bitrarias tulisse leges credendus sit.

#### THESES QVARTA.

*Apparet potius, fontem earum esse summam sapientiam.*

Argumenta, quae ad hanc thesin pertinent, compluria iam su-  
pra praemisi (m). Quare sub hoc titulo unum tantummodo locum,  
et quidem, quia vis in complexu totius orationis posita est, integrum  
huc transcribam. *Caput Ptouerbiorum Salomonis octauum dico,* inde a commate 4to.

De Sapientia DEI legislatoria (n) sermo est: et sicut sapientes  
(חָכְמִים) dicuntur, qui sapientissimi DEI praeceptis obsequuntur,  
*stulti*

(i) abrogantes, *auctoritate priuan-*  
*tes, ἀνυπούτεροι.*

(k) onera ponderosa et portata dif-  
ficillima, Φορτία βαρέα καὶ δυσβά-  
στα.

(l) ἀφήνετε τὰ βαρύτερα τοῦ  
ρόπου.

(m) ad thesin praecedentem,

(n) *Filius* quidem DEI tanquam  
Ipsa Sapientia introduci poterat, quemadmodum verissima DEI mens, ὁ Λό-  
γος, nominatur; at neque Matth. XI,  
19. neque nostro capite de Eo inter-  
pretanda est vox *Sapientia*. (σοφία,  
חָכְמָה)

ſulti vero (טְבִילָה et נְסִילָה) qui detrectant disciplinam; (o) ita nunc *Virtus* aut *Religio* ab eo vocatur *Sapientia*, nunc, ut ostendat sapientissimum Conditorem monitorum auctorem esse, **SAPIENTIA DIVINA** tanquam *Nata DEI ac Magistra mortalium* in ſcenam producitur. Prou. I, 20-33. (p) Locum in quaeflione proposita clasſicū curatiis interpretabor.

Salomo igitur, oſtenſurus, Sapientiam, quae nunquam fatis admiranda arte mundum exſtruherit, et illam quae morum disciplinam hominibus patefecerit, vnam eſſe eandemque; nec minorem in excogitandis legibus, quas mortalibus praescriberet, quam in moderando

caeli

חַכְמָה). Illo enim loco abſtractum pro concreto poſitum deſcribit sapientissimum DEVM generatiū conſideratum, fontem sapientiae, cuius ratio populo ſuo diſplicat, quantumuis ſe ad eorum voluntatem accommodauerit: Ipsi Sapientia (DEI ad morositatem populi ſui ſe accommodantis) in iudicium vocatur, condenmatur et culpatur. Salomo autem de morib⁹, non de fide ad ſalutem neceſſaria, per totum librum loquitur.

(o) Adeo mentibus hominum ſententia vera praesens fuit, vt ipsa lingua eam exprimeret. *Flagitium a ſumma vecordia* denominatum. בְּלֵג Gen. XXXIV, 7. 2 Sam. XIII, 12, et *feleſlus* vocabatur *vecors* נְבָל ibid. comm. 13. (qui proprie erat maleſicus ad ultima ſupplicia trahendus, ib. III, 17-20.)

33. coll. 34.) Ita חַכְמָה problem, pro vicio. (vnde Philipp. III, 19, qui gloriantur peccatis, quorum eos pudere debebat. ἦν δὲ οὐκέτι τῇ αἰτσχύνῃ αἰτῶν.)

(p) Eadem proſopopoeiam adhibet cap. IX. vbi priuum Sapientiam, deinde (v. 13.) in oppositione Stultitiam ſeu Vitium tanquam personas agentes deſcribit. Antiquitas huic noſtræ explicationi ſuffragatur, vid. Siracid. XXIV, 1-4. 23-25. (al. 32-34.) coll. Baruch. III, 36, 37. (al. 37. 38.) IV, 1. vbi afferitur, per *Sapientiam Leges Mofaicas* intelligendas eſſe. (Pariter Salomonis quoque *Sapientia*, ex illo fonte Sapientiae diuinæ emanans, ſimili fictione tanquam persona in ſcenam producitur *Sapient.* Sal. VII, 7. 17-20.)

caeli terrarumque ordine solertiam D E V M adhibuisse: Sapientiam,  
morum formaticem, suauissima fictione describit, quasi publicis lo-  
cis conuocatos homines his verbis alloquatur:

## (PROV. VIII, 4-36.)

„Vos iam adeste, viri honoribus insignes; vos etiam cuiuscunque  
„ordinis, o ciues, saete lingui. Si quem consilia deficiunt, a me  
„discat, quomodo caute agendum sit; aut si quis imprudentius pecca-  
„uerit, ad sermones meos animum aduertat. Auscultate; HONE-  
„STA (q) enim proloquar, et rectissima. Veritas ineft monitis meis,  
„et a malitia abhorrent verba mea. Quae infiſſima ſunt, indicabo;  
„nec tortuosi aut peruersi quidquam proferam. Praecepta mea cuncta  
„planifſima ſunt; modo ut rite perpendantur; aequifſima apparetur  
„bis, quibus scientia contigit. Accipite doctrinam meam; namque  
„argento ea praefat, et ne aurum quidem probatiffimum tanti aesti-  
„mandum eſt. Enimvero sapientia gemmarum pretia ſuperat; neque  
„eorum quidquam, quae in deliciis habentur, illam equiparabit.“

„Ego, quae sapientias nomine praedicor, vicinam habeo Solerti-  
„am, aedemque meam proxime contingit Conſiliorum-peritia. Reli-  
„gionis praeciput primum eſt, malitia abſinere et contumaciam  
„odisse: namque fallaces sermones in odio miki ſunt. Scitote autem,

„mecum

(q) LXX σεμνὰ γὰρ ἐρῶ. נגידות conj. 2. experientia cognovit, experi-  
ſunt res per ſe clarae ac manifestae, quarum honestas ſanctitasque experi-  
mentis cognoscitur et probatur. נגידות מישרים respondet.

C

„mecum esse consilia ac solatia (r), nec solum me Scientiae titulo colli,  
„sed etiam Potentiam a me tribui. Siquidem per me imperia reges  
caepissunt, legunque latores (s) iura populorum per me constituant,  
„per me principatum gerunt proceres, nobilesque (t) censentur terra-  
rum indices.

„Ego studiosos mei amore prosequor ultroque amplexibus (v) eo-  
rum occurro. Diuitiae atque honores mecum sunt, opes haud un-  
quam periturae dotesque (x) amplissimae. Lucrum ipsis spondeo,  
„cui aurum; atque emolumenta, quibus argentum probatissimum com-  
parari nequit. Recta via iustoque tramite incedo. Aeterna bona  
„mecum acquirunt amici mei plenasque apothecas.”

„Me quidem primam genuit D E V S (y), antequam mundum  
„conderet: regnumque populorum antiquitus mibi mandauit, prius-  
„quam fundamenta terrarum iacta essent. Necdum maria nec fon-  
tes, quum nascerer, vndis aestuabant. Antequam montes fistu-  
„rentur

(r) de יְהוָה vid. Exercitat. in nostro loco tota imago poscere vide-  
Iob. XIX. §. 14. not. (x) pag. 71. tur. Etiam Prov. XXI. 21. (altera  
(s) רַוִּיבָת (LXX οἱ δινάρει). ar. vice) doris significatio optime quadrat.  
vir grauis.

נְדָבֵב nobilis fuit.

(v) per רַחֲשָׁה amantium proprie-  
cura denotatur. Prov. VII. 15. vbi LXX  
ποθεῖν, desiderium amantium.

(x) שְׂרָקֶה vox vaga, non solum  
iustitiam, sed etiam veritatem, elec-  
mosynas, amicitiam denotans. סְדָמָה  
dos sponsalis est. Quem significatum

(y) D E V S, demta sapientia, co-  
gitari nequit: adeoque Nata haec ae-  
que aeterna est ac parens. Quia au-  
tem D E V S ipse attributorum suorum  
fons censi debet, dicitur sapientiam  
suam genuisse. Quamvis haec poetica  
sint, nec natura mysterii hinc explicati-  
onibus debeat; video tamen, quo iure Fi-  
lius D E I a Patre genitus nec eo seci-  
us reuera aeternus statuatur.

„rentur (2), neclum colle vlo posito, nata sum; priusquam orbis ter-  
rarum cum loeis incultis conditus aut puluisculorum, quibus tellus  
exfrueretur, numeri definiti essent. Quum DEVS siderum regio-  
nes caelaret, fundos marium circino describeret, et, inualescentibus  
aquarum fontibus, nubes attolleret, oceano autem, vt flucluum im-  
petus comprimeretur, metas poneret tellurisque fundamenta designa-  
ret; tunc ego adfui: meque comitem perpetuam habuit ac filiam sin-  
gulari cura adamatam (a). Consortio meo, meis etiam lusibus vi-  
que delectatus est. At ego, cui tot iantaque artificia Parenis offer-  
ret, tellure suprimis laetabar: et cum hominibus tanquam amicis  
conuersari, summa mibi voluptas erat.”

„Quare, o liberi mei, accipite praecepta mea. Quanta enim  
salus exspectanda est his, qui legibus meis morem gerunt! Accipite  
doctrinam: nolite excutere monita, quae vos sapientes reddere de-  
bebant. O vos beatos, qui me secuti ad portas meas quotidie excu-  
bias agitis! Quisquis enim me quaerendo attigerit, perenni vita  
dona-

(2) γένει ar. طبع proprie, cudit,  
impressit.

(a) γένει (LXX ἀρμόδουσα. i. e. aptans. quae vox etiam Prov. XIX, 14. occurrit. Hinc forte versio Lutheri orta: *Da war ich der Werkmeister bey Ihm. Fabricatrix.* i. e. meo artificio extruxit mundum; mecum deliberauit consilium, priusquam conderet. Sensus apertissimus, si quis forte ad eum confirmandum exempla in medium proferat, nisi forte ex Chald.

יְהוָה artifex, explicandum est;  
quanquam ita mirer, cur non Targumi-  
sta vocem hanc modo in forma di-  
uersam retinuerit, sed ipse vertat,  
Eram in sinu eius educata, qu. ἐγώλ-  
πιος) ex ar. حَمِلَ securitas, protec-  
tio. Num omisso praefixo, (vt in  
כַּבְדָּה) IN protectione eius fui, sin-  
gulari fauore ac cura me susceperebat?  
Hinc יְהוָה tutor, quasi protector,  
et מִלְאָנָה, gestari, de infantibus in  
sinu protegendi.

„donabitur DEO que acceptus erit. At quicunque me aberrando per-  
dant, subinet ipsis vim inferunt. Si quis in me odium concipit, fu-  
tam is profecto ipsis pernicem amplectitur.“

### THEISIS QVINTA.

*Tendunt cunctae ad felicitatem eorum, quibus praescri-  
buntur.*

Quum DEVS nihil nec agat nec decernat, quin id aliquid bo-  
ni (vel utilitatis,) secum ferat, erit hoc bonum vtile sive Ipsi, sive  
aliis: atqui non ipsis, siquidem summa eius beatitas incrementis haud  
capax est (b): ergo commodum inde exspectandum redundabit ad  
alios. Iam vero quidquid boni ex diuinis sive actionibus sive decretis  
(quibus adeo consilium de ferendis legibus accensendum est) fluit,  
hoc consequenter euenturum esse, profecto DEVS, qui cuncta sci-  
ret, praenideret; et quia propter summam, quae ei insita est, bonita-  
tem (non inertem illam puto) nequaquam DEO par aut idem fuit,  
bonum illud persiceretur, necne; hanc etiam finem sibi proposuisse  
credendus est. Quid igitur legibus ferendis propositum DEO fuerit,  
nisi ut subditorum, quibus eas praescriberet, felicitati consulereetur?  
Accedit, quod legislatio ad actus imperatorios, sive ad gubernatio-  
nem et prouidentiam summi rerum Arbitri ac Domini omnino refe-  
renda est (c), in quibus dispensandis haud aliud, quam in procrean-  
do mundo, scopum sibi praefixit. Conditi autem animi intelligentia  
praediti sunt eo potissimum consilio, ut tum singuli beata vita frue-  
rentur, tum ad promouendam reliquorum prosperitatem pro se quis-

que

(b) conf. Pistorius l. c. (in Dissertationibus Stolpianis.) pag. 67, et Toell-  
nerus ib. p. 17.

(c) vid. TOELLNER. §. 8.

que concurrerent; et quo minus ab hac, ad quam cuncti destinati erant, felicitate defleceretur, neque (quum D E V S aequam vniuersorum rationem ac curam habeat) publica salus periclitaretur, legibus certis praescriptis singulas eorum actiones ad fines suos sapientissimos ac benignissimos dirigere prudenter constituit.

Quando autem ad subditorum adeo felicitatem cuncta refero, nolle mea verba sic intelligi, ac si reliqua consilia, quorum magna forsitan pars nos latet, negarem. Quatenus enim hoc vel illud con filium ad ultimos, si ita loqui fas est, seculorum terminos pertineat, aut officium unum vel alterum hominibus iunctum cum salute reliquorum, quae praeter homines infinita est multitudo, connexum sit, de hac re solus D E V S coimpertum habet.

Illud unum, antequam sententias sacrae scripturae de legibus ad salutem subditorum tendentibus promam, mihi statim in limine monendum videtur, scilicet, quemadmodum ab arbitrio diuino bonitatem, que felicitatem subditorum respicit, separabilem non esse supra (thesi II.) ostendimus; ita *gloriam diuinam*, quo cuncta tandem referri solent, cum consilio D E I animos a se procreatios beandi strictissimo vinculo cohaerere. Nam maiestas eius tanto exsurgit illius, quo constantius salutem nostram ipsi in votis esse a nobis animaduertitur: et quam mentium sive humanarum sive caelestium in hoc maxime posita sit salus, quod auctorem vitae ac prosperitatis suae ita penitus noscunt, ut eum diligent, fiduciam in eo collocent, eius amicitia vtantur ac tanquam familiariter cum eo conuersentur, D E V S, quantumuis per se beatus, quoniam ex sua gloria manifestanda summum ad subditos bonum redundat, ipse quoque hinc veluti suauissimam voluptatem capit. Eatenuis finem quidem ultimum eorum,

quae DEVS agit, gloriam ipsius esse constat; verum quia non sui causa, i. e. non quod ipse beatior euaderet, mundum fieri iussit, sed considerando praeter se beatos alios nasci posse, horum in primis rationem habuit, adeoque princeps eos condendi incitamentum (*d*) amorem ipsius paternum, qui se cum aliis communicare gestiret, suffisse pariter constat; scopus quoque in illis gubernandis praescribenda que iis lege primarius erit hic, ut felicitati subditorum optimis insitutis consultum eatur (*e*). Neque haec sententia de finibus diuinis aut gloria DEI a doctrina sacrarum literarum abhorret, si quidem ipsa scriptura gloriam diuinam ita describit, ut eam dicat esse suauissimam illam voluptatem, quam ex intuenda operum suorum perfectione caput opifex mundi: *Manet GLORIA DEI in aeternum, LAETATVR DEVS operibus suis.* Pl. CIV, 31. (*f*) Iam vero in hominibus sive angelis perfectio naturae summa praeter felicitatem summam cogitari nequit, adeoque suae ipsius gloriae (*g*) optime consulet, maximeque sibi met ipsi voluptatem pariet DEVS, si etiam in promulgandis legibus salutem subditorum tanquam scopum priuarium sibi praefixerit.

Atque ita sane rem se habere, sacrorum oraculorum auctoritate edocli sumus.

*Doctrina*

(*d*) causa impulsua.

(*e*) conf. PISTORIVS l. c. p. 69.  
sqq.

(*f*) כביך ותְּהִלָּה propter mem-  
brorum parallelismum sibi inuicem re-  
spondent.

(*g*) ut et amor et reverentiae sub-  
ditorum (quorum pariter in eo reue-  
rendo salus sita est) se commendet,  
vel ut maiestas ipsius (quae singulorum  
eius attributorum summam et conser-  
sum complectitur) a quam plurimi-  
agnoscatur.

*Doctrina* enim *morum*, quae ab omnibus vitiis abstinentium praecepit, modo vocatur *doctrina salubris* (b) 1 Tim. I, 10. modo *disciplina vitae* seu *salutis* (i) Prov. XV, 31. modo *via ad salutem*, et *lucerna*, cuius ope haec via ad salutem dicens conspiciatur (k). Prov. VI, 23. coll. Psalm. CXIX, 105.

*Religio*, seu pietas, quae totius diuini instituti aut omnium legum a DEO lataram cultum comprehendit, *utilis* esse dicitur *omni respectu* (l), siquidem *et in hac mortalitate et in altera postmortem speranda vita beatos nos reddit*. 1 Tim. IV, 8.

In primis de bonis operibus vniuersis secundum legem diuinam praestans afferitur, ea esse non solum per se bona, sed etiam *hominibus utilia* (m). 1 Tim. III, 8.

*Commodis nostris seruire* dicitur scelerum punitio virtutumque renumeratio (n) Rom. XIII, 3. 4. (Atqui nec punitio nec renumeratio, sed vitia comprimenda et virtutes excitandae, qui est retributionis scopus, hoc bonum secum ferunt. Notatu dignum est, de cibilibus adeo ac positivis humanorum magistratum legibus, quibus haud raro arbitraria et temeraria admiscentur, ista praedicari; quanto magis idem de legibus DEI sine cibilibus vel positivis, sine moralibus vel ecclesiasticis valebit? — — Aut si hanc a minori ad maius argumentandi rationem aegre admittis, vel male ita a particulari ad vniuersale coniecturam transferri putas, vides certe, quae *legislatoriae potestatis natura*, qualisue *legum scopus et poenialium sanctionum finis* ex sacrae scripturae iudicio statuendus sit).

Et

(b) ὑγιαίνουσα διδασκαλία.

ῳ φέλιμος.

(i) בְּרִית מֹשֶׁה

(m) παλὰ μὲν ᾧ φέλιμα τοῖς

(k) בְּרִית מֹשֶׁה, רָוֹן, נַ

ἀνθρώποις.

(l) (εὐσέβεια) πρὸς πάντα

(n) σοὶ εἰς τὸ ἀγαθόν.

Et quemadmodum haec de commodis singulorum intelligenda sunt, ita non minus vniuersorum seu totius societatis utilitas in eo versatur. Siquidem iuxta *Prov. XIV, 34.* iustitia moralis, quae est ipsa *virtus* seu officium quodlibet lege diuina praescriptum (o), *vniuersae gentis* florem prouelit, vitium autem seu *peccatum* (aberratio a lege diuina) *nationibus* maximo probro vertitur.

His adiungamus pulcherrimas felicitatis a legum diuinorum obseruantia et pietate deriuandae picturas, quando expressis verbis *beati praedicantur* (p), quorum in praecepsit Domini sui contemplandis atque exercendis delicium positum est, et quemadmodum virtutes ad salutem tendere, ita vitiis homines perdi dicuntur: aut quando fene-ctus, diuitiae, honores, vitae suauitates, quies animi, securitas ab omni malo, somni salubris dulcedines religiosis, improbis contra adversa omnia annuntiantur. *Psalm. I, 1-4.* et *Prov. III, 13-26.*

Quare etiam per *paternum*, quo erga nos affectus est, *amorem* (q) et per *beneficam*, *ipsius clementiam* (r) DEVS imploratur, vt imperiat subdito praeceptorum suorum cognitionem, qua tanquam *sensu quodam boni* (s) sciat, quid factu optimum sit; vt in iis tanquam paternis consiliis *fiduciam* (t) omnem collocet, neque iterum a salute sua aberret. *Psaln. CXIX, 64-68. 176.*

Ipse Moses de praecepsis ac statutis cuiuscunque generis, quae Israelitis praescriberet, affirmat, praecepsisse se illa, vt *ipsorum utilitati* seruiret (t). *Deut. X, 13.* Siquidem hac sua lege *vitam, salutem,*

(o) nam *חַדְרָתְךָ הִיא תְּשַׁׁעַךְ* h. l. τῷ χαράττε απponitur.

(p) *אֲשֶׁר־הָאֵשׁ אָרוֹם* אֲשֶׁר־הָאֵשׁ אָרוֹם

(q) *חַסְדָּךְ* חַסְדָּךְ *pietas naturalis.*

טוֹב וּמְטוֹב (r)

*בְּמַעַן גָּוְדָם* (s)

*בְּמַעַן תְּחִנָּתְךָ* האמנתי (t)

*לְטוֹב לְךָ* (in tuam utilitatem.) (u)

tem, et *fene&ctutem* imp&ertiri (x). DE VT. XXXII, 47. quem locum de *tota lege*, non exclusis *positiuis* statutis, omnino intelligendum esse, ad thesin III. demonstrauimus.

Quin et Christus in exemplo *positiui* statuti aperte docet, non DE VM homines condidisse, vt essent qui legi obtemperarent; sed legem *hominum cauffa latam*, adeoque ad naturam statumque eorum accommodatam esse: *Sabbatum PROPTER HOMINEM institutum, non homo propter Sabbatum conditus est* (y) MARC. II. 27.

### THEISIS SEXTA.

*Omnibus numeris absolutae suoque genere perfectissimae sunt.*

Opus *perfectum*, vt ipsa vocis origo indicat, proprio est opus omnibus modis penitus absolutum et consummatum, in quo nec pa-  
rum nec nimium iure vituperes. Hoc sensu leges *perficiendi* consili-  
um a DE O initum esse, ex iis locis (ad thes. III et IV citatis) com-  
probauimus, vbi Sapientia diuina haud scrupulosius corporum naturas  
delineasse, quam in definiendis praecceptis minutissimas rationes respe-  
xisse dicitur. Nec creditu fas est, DE VM, qui corpoream natu-

ram,

(x) הַא חִיכּוֹם пропр. Hoc verbum (baec lex) vita vestra est. בְּרַכָּה, siue vertas, Per hanc legem, siue In ea, siue Ex ea, semper certum manet, non solum propter pro-  
missionem ex libera DE I gratia iis an-  
nexam, sed etiam naturali quadam  
virtute (Angli by a natural tendency  
dicent) legum Vim eo tendere, vt

actionibus diuinitus praescriptis salu-  
tem, ad quam destinati sumus, (tan-  
quam effectum, cuius *cauffa efficiens*  
siue *instrumentalis* lex fuerit,) affe-  
quamur.

(y) τὸ σάββατον διὰ τὸν ἄγ-  
θρωπον ἐγένετο, οὐχ ὁ ἀνθρω-  
πος διὰ τὸ σάββατον.

D

ram, quanta quanta est, *admodum bonam* (z) (id vero est, perfectissimam) formaret, quum utrinque pari solertia usus sit, in constituenta lege opus suum imperfectum reliquise. Nam ubique sibi constet mens sapientissima necesse est (a).

Neque sensu ab his diuerso *perfectionis* notio in linguis sanctis occurrit. Ut de graeca initium faciamus, τὸ τέλειον significat id, quod omnibus numeris absolutum est, cui nihil adeo addas aut detrahias, in quo nihil amplius desideres, cui nihil quo opus erat defest. Ita Iacob. I, 4. non solum de *opere* penitus *perfecto* (b) adhibetur, sed etiam homines, in quorum virtute nihil amplius desideres, vocantur τέλειοι, et, quo minus vera vocabuli notio aliquem fugiat, adduntur descriptiones plenam integritatem (c) et omnis defectus absentiā (d) indicantes. Pariter hebraeis τὸ 히մִת est proprie *totum* aliquid cui nihil defest; et transfertur ad id, in quo nihil vitii certinatur (e), in quo nihil culpari potest.

Huic grammaticae vocabuli descriptioni iungamus strictiores philosophorum definitiones, qui *perfectum* vocant illud, in quo omnia consentiunt, totum quoddam in quo singula conspirant (f), vel id demum, quod scopo suo conuenientissimum est.

#### Legum

(z) τὸ ex ipsis DEI sententia factum erat מְאָרֶב Gen. I, 31. perficit, quos nihil deficit, conf. Iac. II, 22. — Hinc etiam factum est, ut vulgo ὁ τέλειος hominem *adultum* significaret. (ein ausgewachsner Mann).

(a) negare se ipsum non potest. 2 Tim. II, 13. ἀργήσασθαι ἐμπόρου δύναται. (e) Num. XIX, 2. iuuenca תְּכַוֵּה definitur נָשָׂר אֲזִזָּה מֹתֵת in qua nihil vitii est.

(b) οὐγον τέλειον.

(c) ὄλοντηρος is dicitur, qui *totus* virtuti deditus est.

(d) ἐν μηδενὶ λειπόμενοι, quibus in nulla re aliquid desiderandum su-

(f) Inde *perfectio* dicitur consensus variorum in uno, seu consensus partium cum toto.

*Legum igitur diuinarum perfectio erit strictissima earum conuentientia cum consilio DEI, et naturam et felicitatem animorum a se procreatorum perficiendi (g).* Ita vero leges illas comparatas esse, vel ex thesibus tribus proxime praecedentibus posulare poteramus.

Sed iam locum in hac quaestione clasicum PSALM. XIX, 8-12 euoluamus. *Lex Iehouae est perfectissima (b),* (תְּמִימָה), *et recreat animam; sanctiones DEI certae (ac firmae) sunt,* (qui- bus secure nitamur,) *et sapientiam impertinent imperito. Mandata Iehouae rectissima sunt, animumque laetitia perfundunt. Praeceptum Iehouae est clarum, quia oculos illuminat. Religio pura (omnis vitii expers) est, et aeternum manet. Leges diuinae verissimae simul et iustissimae sunt,* (siquidem finibus suis quam maxime respondent,) *magis etiam in deliciis habendae omni auro quantumcunque sit, et dulcedine liquentia ac roscida mella vincunt. His (i) enim subditus TVVS commonfactus cautor euadit; hisque obseruandis praemium amplissimum acquirit.*

Quanquam illa de morum praeceptis potissimum valere manifestum est, reliquam tamen Legis partem ipsaque adeo Iuris Mosaici civilis statuta ab hac descriptione non penitus excludi, inde colligo, quia varia adhibentur Legis nomina, quorum primum singulari numero positum totum Legis volumen indicare solet. תּוֹרָה. (pariter alterum nomen תְּרוֹת prop. testimonium, de tota Sanctione diuina intelligendum est).

Atqui omnino aliis quidem, sed eadem perfectionis notionem experimentibus verbis, similia de singulis Legis Mosaicae statutis praedicant.

(g) vid. introitus theses V.

sine culpa.

(b) Lutherus non male, modo ne archaismo offendaris, ohne Wandel,

vid. nota penultima ad th. V, ita etiam בְּנֵי בְּנֵי th. V, ita etiam בְּשָׁמַרְתָּךְ D 2

dicantur. De tota enim Lege loquens Nehemias, praecepta illa et leges et statuta ac mandata cuiuscunque generis (*k*) vocat *rectissima et verissima*, (i. e. *iustissima*, quibus maxime opus fuerit,) atque *optima*. NEHEM. IX, 13. Quenadmodum etiam EZECH. XX, 25. leges per Mosen promulgatae, in quibus expressa positivae sabbatarum institutionis mentio fit, (comm. 24.) in oppositione cum idololatrarum praeceptis, (comm. 26.) in genere *bonae* (i. e. *perfectae*) et ad *salutem* populi promouendam apprime idoneae nuncupantur. Nam quod de ipsis negatur (*l*), illud eo valet, ut melioribus legibus, pereram a populo reieci, idem hoc laudi tribuatur. Et Paulus i Tim. I, 8. de tota lege, ab interpretibus iudaicis (v. 7.) tractari solita loquens, eam dicit esse bonam (*m*) si rite ea vnamur. Inprimis autem Rom. VII, 12. quamvis de praecepto decimo speciatim sermo sit, tamen in genere *Lex* (*n*) (vniuersa) dicitur esse *sancta*, (i. e. omnis culpae expers, perfecta,) et *praeceptum* (quodlibet eiusdem Legis) *sanctum et iustum et bonum* (*o*).

### THESES SEPTIMA.

*Ne leges quidem DEI positivas arbitrarias dixerim.*

*Lex positiva* vocari potest ea, cuius rationes non tam manifestae sunt, quam in lege naturali. Ita fere TOELLNERVS, cui in definienda positivae legis natura, nostro quidem iudicio, maxima laus debetur. Ille enim legem positivam dicit eam esse, quae non sine expressa

(*k*) משפטים, תורות, חוקים, מצוות  
 (ל) הַתּוֹדָה i. q. tota legum collectio.  
 (m) נָאָלָדֶס הַנּוֹםָס  
 (n) ὁ Νόμος i. q. tota legum collectio.  
 (o) ὁ νόμος ἄγιος, καὶ οὐ ἐντολὴ  
 ἄγια καὶ δίκαια καὶ αἰγαῖα.

expressa legislatoris declaratione cognoscibilis est. Quia scilicet talis lex, quum in ea Legislatoris pro summo suo arbitrio imperantis consilium ut plurimum occultum sit, meri arbitrii speciem habet, hinc fit, vt ipsa quoque a nonnullis interdum arbitraria dicatur. Quanquam autem in oratione populari atque eleganter iste loquendi modus haud improbadus est (*p.*), malo tamen hoc loco, vbi quaestio-

nem

(*p.*) Apud Gellium *rō naturale et rō arbitrarium* sibi iniucem opponuntur. Vnde iure quidem suo S. V. ERNESTI (in Vindiciis arbitrii diuini in religione constituta. Opuscul. theolog. pag. 232.) theologos disputare dicit, vtrum lex Sabbathum praeципiens — “profrus arbitraria sit, et rostria, ut in scolis loquuntur.” — Apparet autem, Virum doctissimum filio ornatori leges arbitrarias non nisi eo sensu defendere, vt asserat, tulisse D E V M, praeter naturales, alias quoque leges, quae magis supremum Ipsius arbitrium testentur, i. e. leges positivas. Et quamvis Ccl. Auëtor alicubi de mero arbitrio diuino loquens Deum ex mero arbitrio agentem fingere ineautis lectoribus videretur, (ibid. pag. 240. quando affirmat, si dem meri arbitrii diuini decreto, sapientiae illo et benignitatis plenissimo, factam esse legem modumque salutis consequendae; vbi vero nec scriptum

inuenio, merum arbitrium *Dei*, nec *rō merum* tam ad *arbitrium*, quam potius ad *diuinum* restringi debet,) tamen vel sola sapientiae ac benignitatis adiecta mentio nos monet, ipsius verba non ita intelligenda esse, ac si eo sensu, quo nos illud (in thesi *Ima*) negamus, merum (vel absolutum) arbitrium D E O attribuat, verum potius ita, vt arbitrium mere *diuinum* vel arbitrium D E I *liberrimum* defendat contra minutos istos nostri temporis philosophos, qui religionem a sapientissima mente profectam suis praeposteris iudiciis subiictere et tanquam suo intellectu rationes diuinas metiri non erubescunt. Hi omnino monendi erant, religionem non humani, sed rem meri arbitrii diuini, i. e. ad folius D E I arbitrium referendam esse. Nam temerarium istud arbitrium, sapientiae ac bonitatis expers, grauiissimus ille curiosorum censor ipse reicit; quippe et multis locis rationes

nem subtilius discutiendam suscepit, cum philosophis recentioribus positivis et arbitrariis (*q*) leges distinguere; verens, ne alioquin aegre nobis ab illorum errore caueamus, qui temere atque inconsulto latas esse leges statuunt, sicubi rationes earum aut omnino non apparent, aut certe non statim, vel non ab unoquoque subditorum perspiciuntur.

Quemadmodum igitur rationes legis naturalis ab ipsa rerum hominumque natura petitae vniuersalem constituant agendi modum; sic singularia momenta, singulis sine locis, sine temporibus, sine ingenii, sine consuetudinibus, sine populis peculiaria, vel consilium quoddam Legislatoris occultius et fines assequendi remotiores, proprias suas atque particulas illis circumstantiis respondentes requirunt leges, quarum strictissima cum scopo praefixo congruentia omne arbitriatum propositum excludit. Neue quis obiciat, leges illas positivas tamen, quam identidem commutari soleant, non a constanti Sapientiae consilio, sed a vario ac mutabili Legislatoris arbitrio pendere;

Institutorum diuinorum prudentissimas ac benignissimas maximeque ad natu-  
ram humanam accommodatas exponit,  
et postrema dissertationis pars tota fe-  
re in eo versatur, ut candem senten-  
tiā, quam nos thesi nostra secunda  
explicūmus, comprobet, doceatque,  
DE VM arbitrio suo in constituenda  
religione semper magna cum utilitate  
hominum patrē ac sapienter vsum  
esse.

(*q*) Idem Gellius, cuius antiqui-  
tate legem, quae non mere naturalis

sit, bono sensu arbitrariam vocari in  
praecedenti nota mouimus, pariter  
*rō positivū rō naturali* opponit: *rō*  
*arbitriū* autem eodem sensu, quo  
nōs hac voce vtimur, in Plauti scri-  
ptis occurrit, vbi arbitriū dicitur  
id quod *non certum* est. (In vernacula  
lingua, *willkürlich*.) v. gr. Hoe  
profecto *certum* est, non est *arbitriū*.  
Sic leges diuinæ, quia certae  
sunt, non erunt hoc sensu arbitrariae  
vocandæ.

dere; consideremus, mutatis temporibus mutandas etiam esse leges positivas, quia rationes earum cum momentis vicissitudini subiectis cohaerent: minime autem gentium inde sequi, ut arbitrium imperantis ipsum quoque mutabile sit; quod sane non sine maxima auctoris iniuria de legibus diuinis dixeris. Et quantumvis leges principum binae haud raro prorsus aequipollentes (*ἀδιάφοροι*) et legislatori ipsi et populo videantur, hoc quidem oritur ex limitata mortalium scientia. Nam dubitari profecto nequit, quin alterutra alteram certo respectu praefest. Summa antem peritis opus est ad discernenda minutissima illa momenta, quibus alterutra alteram praefest. Quapropter in ferendis legibus positiviis ne ullam quidem adeoque levissimam rationem, qua hoc statutum reliquis omnibus praferendum magisque caeteris ad singula momenta consideratione digna accommodatum erat, a DEO neglectam esse, quin Illum potius ea semper, quae pro certis temporibus omni respectu optima essent, constituisse crediderim.

Verum omnino in hac quaestione naturalis finium diuinorum ordo obseruandus est. Scopus enim legum ciuilium fuit inferior ac paene humanus; ritualium, maior; moralium, quae τὰ βαρύτερα τὸν νόμον efficiunt, maximus atque ultimus. Hinc lex Mosaica, cuius adminiculo ad praefiantiores et posterioribus demum temporibus conuenientem religionem adoptandam animi formarentur (r), comparatiue quidem sequior erat, et tanquam durior describitur: (Gal. III, 23, in primis autem Act. XV, 10, (s)) attamen, in se spectata, ad perficiendum diuinum consilium (de segregando populo uno et propagandis per hunc oraculis antiquis, quae cum factis recentioribus collata fidem religioni facerent), pulcherrime apta fuit.

## Locos

(r) ὁ νόμος παιδαγωγὸς ἡμῶν γέ-  
γονεν εἰς Χριστόν, Gal. III, 24.

(s) ζυγός, ὃν οὔτε οἱ πατέρες ἡ-  
μῶν, οὔτε ἡμεῖς ισχύσαμεν βασάσαι.

Locos scripturae sacrae complures, qui sententiam nostram confirmant, iam supra (ad thes. III. V. et VI.) in medium protulimus. Quibus adiungamus D E V T. IV, 6-8. vbi tota (t) lex et cuncta (v) Mosis statuta iustissima (x) (finibus suis conuenientissima) atque ita adeo comparata fuisse dicuntur, vt ex his tum gentes documentum caperent, quanta praedicanda sit auctoris sapientia, tum populus ipse, cui ferebantur, tam diuinis praeceptis instructus reliquos omnes scientia ac prudentia longe antecelleret.

In loco ad thesin 5tam citato Psalm. I, 2. volumina ista, nocturna diurnaque manu versanda, ad solum decalogum restringi nequeunt, verum omnino totam legem per Mosen promulgatam, tam civilem et ecclesiasticam, quam moralem respiciunt; forte ne caeteris quidem libris sacris exceptis, quotquot eorum tunc exflarent.

In tabulis nunci foederis institutiones Leuiticae τὸ γράμμα (Littera, qu. sensu litterali expressa lex) vocantur, quarum πνεῦμα (mens et consilium seu finis remotior (y) sit doctrina illa gratiosa clarius per Christum revelata. 2 Cor. III, 6-8. 17. (z). Quod si mens Legislatoris iam antiquitus eo spectauit et hoc in ferendis positius praeceptis inde ab initio *confitum* ipsius fuit, vt, cognitis antea poenis pro meritis, tanto maius misericordiae ac condonationis diuinae desiderium excitaretur; videimus sane, cui bono ita fecerit, neque amplius dubitabimus, quin singula ista, quantumuis arbitraria nobis videantur, a sapientissimis rationibus originem duxerint. Quid? quod ne eam quidem legem Mosis frequentiora diuertia ciuibus suis permittentis,

quae

(t) כל הורוד הוארת  
כל החקים האלה (v)  
חוקים ומשפטים שרים (x)  
(y) (l'Esprit des Loix.)

(z) ὁ Κύριος τὸ πνεῦμα ἔσει, idem  
esse puto, quod Rom. X, 4, τέλος νό-  
μου χριστός.

quae alio respectu consiliis diuinis aperte contraria sit, temere latam; sed ad ingenia populi refractarii; quam maxime accommodatam esse testatur Christus *Matth. XIX, 8.* Dandum enim aliquid erat contumaciae (*a*) Israëlitarum tunc temporis; et praestabat a summo iustitiae rigore nonnihil remittere, quam intempestive multiplicandis interdictis sanctitatem vniuersae legis civilis eluere. Nam quod concessum istud mere ciuale, neutiquam morale fuerit, probatione nostra non eget.

Pariter vniuersa christiana religionis institutio, recentissima illa lex DEI positiva, ipsa quoque nonnulla praecipiens, quae sola natura duce ignorarentur, *cultus* vocatur *rationalis* (*b*), i. e. non simpli- citer arbitrarius, sed ad sapientissimas rationes formatus. *Rom. XII, 1.* (confer comma 2. ad thes. III. explanatum.)

Haud tamen negauerim, ritibus facris nonnihil admistum esse, quod mere arbitrium omnino sit. Et primum quidem humano arbitrio nonnihil permissum est. v. gr. complicitis, an extensis et sublati manibus, stans, an genibus flexis preces fundas. Sed totum hoc genus ad ea pertinet, quae, quoniam ista parum definite praescribuntur, minime in censum referri debent. Deinde etiam occurunt nonnulla, quae, quantumvis per se prorsus arbitraria, expressa imperantis declaratione legis naturam induunt, atque eatenus arbitraria esse desinunt. Verum de eo potius quaesito erat, num huiusmodi momenta *αριθμος* legibus diuinis admista praeter omnem rationem, sive ab arcanis supremi Domini consiliis, sive ab Ipsiis bonitate subditorumque utilitate derivatam, nulla alia causa, quam quo ostenderet, sibi facultatem imperandi competere, a DEO praecripta sint. Atqui quuum

(*a*) πρὸς τὴν συληφονικόδιαν ὑμῶν.    (*b*) λογικὴ λατρεία.

quum huic fini assequendo necessaria praecepta sufficiant, adeoque superfluis opus non fuerit, nemo autem prudens absque rationibus certis vñquam agere soleat; ne ipsis quidem praecipiendis solo arbitrio aut iero quodam voluntatis ac potentiae absolute insinuata ductum esse Legislatorem sapientissimum, maximopere contendimus: (vid. thes. III. extrem.) quanquam neque huius loci foret, multis exemplis sententiam comprobare et tanquam vniuersam legem percurrere, neque ipsis nostris viribus tantum arrogamus, vt cuiuslibet instituti positivi rationes, absconditas illas saepissime, enodasse nobis videremur. Solummodo illustrationis gratia paucula apponam. Ita v. c. quum genus humanum, inexpertum illud atque incautum, non vi et miraculis ad virtutem cogendum, sed inde ab initio exercitationibus, quae haud adeo arduae essent, paullatim obedientiae iussis diuinis debitae adiuvaciendum et sic firma demum pietas stabilienda fuerit, quis negabit, D E V M benigne ac paterne cum gente prima egisse, si recens creatis suis, in tanta deliciarum affluentia, fructu uno interdicaret, cuius vetandi plures forsitan causae fuerunt, nobis quidem latentes. Sed hoc loco sufficiat, obseruasse, quam apte Parens indulgentissimus legem omnium primam, et hanc positivam, ad tenellam innocentium aetatem accommodauerit. Altera lex positiva, sabbati sanctitatem inculcans, quam in usum hominum latam esse supra (ad th. V.) verbis Christi comprobauimus, rationes suas manifestas habet. Requietis enim interualla ad reparandas vires et ad reficiendum animum erant quam maxime necessaria; quapropter D E V M etiam huic tanquam laeto ac festo diei benedixisse legimus. Et quum eodem tempore mens curia vacua celebrandis sacris apprime idonea esset, isti quoque fini aliud, quod melius respondeat, otium cogitari nequit. Quin ipse numerus septenarius diuini operis suo ordine perfecti memoriam

egregie

egregie seruabat. Neque temere ita constitutum credamus, vt dies ab opificio mundi *septimus*, qui Adamo tot opera iam pleno splendore fulgentia contemplaturo *primus* illucesceret, summaque Conditoris reuerentia animuin eius affecisset, per totum vitae curriculum angustissimus esset, et tanquam D E O peculiaris ad posteros propagaretur; quemadmodum inde a noua operum diuinorum manifestatione *primus* dies, maiore adeo pietate animos christianorum percellens, ad confermandam non solum mundi septem periodis exstruxi, sed etiam ipso illo die et in vitam reuersi Seruatoris et super discipulos eius effusi Spiritus caelestis memoriam tanto sanctior esse confuevit. Pariter illis temporibus, quum ingenia hominum ad colenda infinitis caerimoniis numina, mirum quantum, prona essent, et vulgo stigmatibus diis suis se deuouerent, quam maxime consultum fuit noua lege, quae primum amputationem forsitan corpori in ipsis regionibus salutarem posceret, qua simul ex declaratione diuina ressecande virtutis sanguinis animique cupidines significarentur; deinde, ad arcendum ab idololatrarum consuetudinibus et conuiuiis populum Iehouae deditum, hinc ritus complures et cibos gentibus superflitiosis gratos interdiceret, hinc epulas sacras et alias multas pietatis exercitationes (c) praeciperet; adeoque tum pristinorum beneficiorum recordationem ac peccatorum expiandorum desiderium, tum amplioris salutis ac gratiae in posterum a Messia impetranda spei et misericordiae diuinae fiduciam excitaret. In ferendis etiam nouissimis euangelii legibus temporum atque ingeniorum rationem a D E O habitam esse dubitari nequit. Nam ritus illos vniuersis christianis praescriptos ita esse comparatos apparet, vt his solemnibus celebrandis tanquam oculis nostris obuersentur caelestia dona, quae cum significantissimi caerimoniis et ad com-

mouen-

(c) Legatur S. V. ERNESTI l. c.

E 2

mouendos pios animi affectus quam maxime idoneis consilio haud absolute arbitrario coniuncta sunt. Et quantum religio christiana, (per)peram illa a philosophis, hominem corporis sensuumque expertem sibi fингentibus, reprehensa,) ingenii ac temporibus indulserit, vel temporaria ista lex ad tempus necessaria Apostolis visa documento est A&t. XV, 20. 28. 29. vbi tria praecipiuntur per se arbitraria; vnum quanquam sua natura peccatum malum, tamen ex publica gentium doctrinam euangelii adoptantium opinione, cui publice hoc decreto contradiceretur, humanae imbecillitati ignoscendum. *Rationem commi-*  
*21.* adiectam vides, scilicet, vt ne Iudeorum animi moribus christianorum offenderentur magisue aduersus religionem sanctissimam exasperarentur.

De legibus his vniuersis, tametsi totum auctoris consilium prosequi mortalibus datum non est, iuro nostro negamus, yllum earum praeceptum a mero arbitrio deriuandum esse, siquidem cuncta haec instituta ad scopos diuinae sapientiae benignissimos asequendos et ad felicitatem hominum promouendam quam maxime accommodata sunt.

#### THESES OCTAVA.

*Rationes legum diuinarum aliquatenus ab hominibus perspiciuntur.*

Legum moralium rationes per te apparent. De ciuilium statutorum magna parte constat, ea ad soli caelique naturam, populi ingenia ac consuetudines, et reliqua momenta, quae hic in coimputum veniunt, perquam apta fuisse (*d*). In ritualibus consilium Legislatoris necessitate quadam naturali occultius finesque remotiores fuerunt; hinc

diffici-

(*d*) vid. LOWMAN'S Dissertation on the civil Government of the Hebrews.

difficilior existit rationum indagatio. Iuvat tamen, nec leue pietatis et obsequii (*e*) incitamentum est, quam plurimas subinde totius Iuris diuini caussas cognoscere (*f*).

Legum quidem christianarum rationes tam manifestae sunt atque apertae, vt, quicunque serio student vitam ad voluntatis diuinæ normam dirigere, sua ipsorum experientia sciant, religionem hanc non posse non a DEO profectam esse (*g*). *Iob. VII, 17.* Ex commodis igitur, quæ legum obseruantia secum fert, aliquatenus perfensisci mus, cui bono latae sint; et danda omnino est opera, vt, quoad eius fieri possit, vtilitas praeceptorum a nobis cognoscatur. Vide etiam dictum *I Tim. I, 8.* (ad thes. III. explanatum).

Sed absconditas quoque legum diuinarum *rationes perspiciendi* (*b*) facultas impetrari potest precibus et a DEO petenda est. *PSALM. CXIX, 18.* *Aperias mibi oculos, ut occultas legis TVAE rationes perspiciam.* Quem locum de tota lege Mosaica, in primis ecclesiastica illa parte et typica seu mystica intelligendum esse, vel ipsa verba testantur.

### THESES

(*e*) Confer. *Pistorius* I, c. qui eo liberiorem et ad obsequendum patriarem existere pietatem ostendit, quo plures legum diuinarum caussas perspexeris; et scientiam illam aeternos progressus habituram credit.

(*f*) Quod multo cum acutum et plerumque feliciter tentauit Cel. Michaelis in dem *Mosaischen Recht*, qui liber in hac quaestione clasicus est.

(*g*) ἐάν τις θέλητο θέλημα αὐτοῦ ποιεῖν, γνῶστεται περὶ τῆς διδαχῆς, πότερον ἐν τοῦ Θεοῦ ἐσιν, η̄ ἐγώ ἀπ' ἐμεωτοῦ λαλῶ.

(*b*) נְפָלָאָתִים כְּרֻרְמָה תְּאֵלָה propr. *mirabilia* h. l. sunt occultae legum rationes. Ita נְפָלָאָתִים Pf. CXVIII, 23. de eo dicitur, quod oculus humanus occultum est. Conferatur locus ad th. IX. explicandus Deuter. XX. X, 28.

## THESES NONA.

*Nec tamen illae obstringunt, quatenus rationes eārum a nobis intelliguntur, sed quia ab arbitrio Legislatoris pendimus: obediendum igitur est, non quatenus conuenit (\*), sed quia summus agendorum Arbiter sic voluit, sic iussit.*

Quia D E V S iure suo, et illo optimo quidem, cuncta a se condita ad eos fines, quos sibi in condendo proposuerat, dirigit; sequitur, ut omni modo id, quod *Ips̄ optimum visum est, perficiat. Summum hoc pro lubitu agendi arbitrium (i) multis locis scripturae sacrae DEO vindicatur. ex. gr. M A T T H. XX, 14. 15. (Θέλω οὐκ εἴτεσι μη; Sic volo. nonne mīhi līcītūm ēst?) R O M. IX, 21. (cūk εχει εἰσοδίας; nonne ius (k) ei competit?) coll. I E S A I. XLV, 9. et 10. Quae quomodo intelligenda sint, iam antea (ad thef. II.) commonstrauimus. Nunc vero ius illud peculiare D E I ad potestatem eius legislatoriam applicemus.*

Nam vtut sapientissimas Dominum nostrum rationes in legibus suis ferendis fecutum, et has rationes a subiectis omnino indagandas esse contendam, tamen vis legum non in eo posita est, quod causas praceptorum perspicias, sed quod ille, qui iustissimam imperandi facultatem habet, ita iusserit. Nam de humanis adeo legibus id valet, quae non solum iis, qui consci culpam in se admittunt, poenas infligendas minantur, verum etiam bonis ciuib⁹ indicant, quo facto

vel

(\*) Alioquin obedientia atque offi-

bent, forent arbitria.

cia humana, quae (quoniam effectus  
causae suae respondet) naturam le-

(i) Confer. thef. I.  
(k) ita εἰσοδίας Ioh. I, 12. Apo-

gum induant et certa ac fixa esse de-

cal. XXII, 14. ius et facultas.

vel ad stabiliendam vel ad promouendam reipublicae salutem opus sit.  
Ne quis autem nec imprudens peccaret, aut ignorantiam mali praeter-  
ixeret, eone delictum nomine excusaret, quod legis vtilitatem minus  
perspexerit; in omni legislatione ad conciliandam edictis Superiorum  
auctoritatem necesse erat, vt una illa ratio subditis sufficeret et instar  
multarum esset, Dominum ita velle: tantoque magis in sola Legisla-  
toris voluntate acquiescendum erit, quo certius de prudentia ac benigni-  
tate ipsius constat.

Quodsi de institutis humanis haec valent, quanto potius supre-  
mus rerum vniuersarum Auctor atque Arbitr, cui vitam et omne bo-  
num debemus, a peculiaribus suis seruis, qui toti ab eo pendent,  
obedientiam posset ob hanc solam cauissam, quia ipse ita vult, ita iu-  
bet? Hinc videoas illum non solum in ferendis legibus se gerere tan-  
quam Dominum absolutissimum, pro auctoritate iubentem, et si quis  
dicto audiens non sit, atrocissimas poenas minantem; Exod. XX, 2.5.  
verum etiam legem suam expressis verbis *ad hunc finem* praescribere,  
non quo rationes eius subditis innotescerent, sed vt praeceptis ipsius  
singulis fides atque *obedientia* praeflaretur. D E V T. XXIX, 28. vbi  
DEVS legibus Mosaicis dicitur *arcana sua confilia* (הנתרות)  
patefecisse, quae, quamvis mentem eorum populus non vndique per-  
spiciat, tamen obseruanda sint (l). Itaque penes D E V M quidem  
verissime absconditae latent rationes sapientissimae, subdi-  
tis autem illud unum fluidendum est, vt *imperia Domini* sedulo pera-  
gant. Conf. Deut. XXXII, 46. Mandata DEI attentis animis consi-  
deranda et liberi ad legem instituendi sunt ob hanc cauissam, vt praec-  
cepta diuina obseruentur ac perpetrentur (m).

(l) לישׂוֹת את־כל־זבורי התורה הוארת  
לשמור לישׂוֹת את־כל־לזרבי התורה הוארת (m)

TANTVM EST.



Göttingen, Diss., 1775-76

ULB Halle  
005 301 432

3



5b-





G. II. num. 48.  
1445,9 9

DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>O</sup> IN AVG<sup>V</sup>R<sup>A</sup>LIS  
THETICO-BIBLICA  
DE  
LEGIBVS DIVINIS  
HAVDQVAQVAM ARBITRARIIS

QVAM  
CONSENTIENTE  
VENERABILI THEOLOGOR. GOETTINGENSIVM  
ORDINE,  
AD OBTINENDAM  
DOCTORIS THEOLOGIAE DIGNITATEM,  
ERVDITORVM IVDICIIS

SUBMITTIT  
IOHANNES CASPAR VELTHVSEN,  
PROF. TH. ORD. IN ACADEM. KILON.  
DESIGNATVS.

GOTTINGAE  
LITTERIS FRIEDER. ANDR. ROSENBVSC<sup>H</sup>  
ACADEMIAE TYPOGRAPHI. MDCCCLXXV.

